



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Die XXIV. Novembris. In Festo S. Joannis à Cruce Confess.

[S.l.], [ca. 1770]

Lectio V.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62753](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62753)

ardore, vilissima quæque complectens officia præsto aderat, cujus exemplo excitati cæteri eadem charitatis munera ardentius obibant. Verùm ad altiora vocatus: Beatae Mariæ Virginis de Monte Carmelo Institutum amplexus est, ubi Sacerdos ex obedientia factus, feuerioris disciplinae, & arctioris vitæ cupidissimus, primitivam Ordinis Regulam ex Superioris licentia ita professus est, ut ob jugem Dominicæ Passionis memoriam, bello in se, tamquam in infensissimum hostem indicto, vigiliis, jejuniis, ferreis flagellis, omnique pœnarum genere, brevi carnem cum vitiis, & concupiscentiis suis crucifixerit: dignus planè, qui à Sancta Theresia inter Puriores, sanctioresque animas Ecclesiam Dei id temporis illustrantes recenseretur.

v. Honestum.

Lectio V.

Singulari vitæ austeritate, & omnium virtutum præsidio munitus, præ assiduâ rerum divinarum contemplatione diurnas, & mirabiles ecstases frequenter patiebatur: tantoque in Deum æstuabat amore, ut, cum divinus ignis sese intrò diutiùs continere non posset, foras erumpere, ejusque vultum irradiare visus sit. Proximorum saluti summopere intentus, tum
in

in verbi Dei prædicatione, tum in Sacramentorum administratione fuit assiduus. Hinc tot meritis auctus, strictiorisque disciplinæ promovendæ ardore vehementer accensus, Sanctæ Theresiæ comes divinitus datus est, ut, quem ipsa inter Sorores primævam Carmeli Ordinis observantiam instauraverat, eandem & inter Fratres, Joanne adjutore, restitueret. Innumeros itaque unà cum Dei Famula in divino opere promovendo perpessus labores, Cænobia, quæ ejusdem Sanctæ Virginis curâ per totam Hispaniam erecta fuerant, nullis vitæ incommodis, & periculis territus, singula perlustravit, in quibus, aliisque quamplurimis ejus operâ erectis, restauratam observantiam propagando, verbo, & exemplo firmavit: ut meritò primus post Sanctam Theresiam Carmelitarum Excalceatorum Ordinis Professor, & Parens habeatur. *v. Amavit.*

Lectio VI.

Virginitatem perpetuò coluit, impudentesque mulieres ejus pudicitiaë infidiari conantes non modò repulit, sed etiam Christo lucrificavit. In divinis explicandis arcanis æquè ac Sancta Theresia, Apostolicæ Sedis judicio, divinitus instructus, libros de mysticâ Theologiâ cælesti sapientiâ refertos conscripsit. Semel interrogatus à Christo, quid præ-